

Ad Lectorem.

locum sibi vendicarunt. Ab his quoque separata Patrum sive Ecclesiasticorum Doctorum sententia sedem suam sortita sunt: quibus Gnoma Poetarum suis inclusae finibus subjiciuntur. Philosophorum porro placita cum Oratorum Historicorum & Politicorum sententiis coniuncta, quod non magnam hac inter se dissimilitudinem habere viderentur, sub unum Philosophicarum Sententiarum indicem congesta sunt. Ab his praeterea separatim suam quoque tribum obtinent Apophthegmata, Similitudines, Adagia: quibus non minus suis distincta terminis Exempla cum sacra tum profana succedunt. Hae postremo suis insignita rubricis sive indicibus sequuntur Hieroglyphica, Emblemata, Fabulae atque Scriptorum nomina. Quae quidem omnia ita disposita & ordinata sunt: ut Lector humanus citra errorem aut tedium ullum ex hoc vel illo genere, quae proposito suo accommodata iudicabit, facillime possit depromere: utque ipsi iam operi noua plane facies ac forma inducta esse videatur. Quod si igitur domum illam recte nouam appellamus, quae, quod ad usum habitantium minus esset commoda, periti artificis consilio destructa, & partim ex eiusdem ruderibus, partim vero noua materia, conclauibus tamen cubiculisque rectius ordinatis, restaurata est: cur, quaeso, Polyantheam hanc nostram eo insignire Epitheeto non licebit, quae itidem ex ruinis ruderibusque veteris editionis, inutilibus, ineptis & superfluis prius reiectis, multis autem utilibus apposis, necessariis ac nouis aliunde assumptis, & quod caput est titulorum, ac sententiarum ordine correcto reparata, Reipublica literaria est restituta? Quod igitur reliquum est, spe bona ducimur, Lectorem bene uolum nos in hoc restaurando opere conatus, labores atque sumptus grato ac liberali animo accepturum: si quid etiam in hac iterata editione vel in serie titulorum vel materialium delectu vel distinctione & ordine sententiarum a nobis minus conuenienter pertractatum deprehenderit, non uoluntate ac studio, sed imbecillitate humana lapsis, veniam benigne daturum. Pollicemur autem ac spondemus serio, quicquid in hac editione forte neglectum est, id nos, ubi de erratis admisissis bonorum & doctorum uirorum admonitionibus certiores facti erimus, in sequenti maiore fide & industria plenius effectum duros. Vale, Lector humanissime: & si tuis studiis aliquid commodi hoc labore nostro attulimus, quod sane magnopere optamus, nos tu uicissim cole ac dilige.